

tis-facere posse, quod genium habere videantur, & propterea victura esse: tamen cùm à me quoq; quædam pleni<sup>9</sup> essent pertractata: si ea à me protruderentur, adiunctis aliorum eruditorum virorum scriptis qui à nostris cogitationibus non dissiderent, ad adstruendam veritatem plurimum momenti apud posteritatem allatura esse existimaui. Nam consensus in doctrina veritatis, argumentum est probabile, non tamen necessarium. Longè plures tamen sunt, qui non modò à me, sed etiam ab his clarissimis Mathematicis, vehementer dissentiunt: quorum opiniones necessariò mihi erant refutandæ: non tamen studio cõtradicẽdi id factum est à me: sed communi omnib<sup>9</sup> studiosis philosophiæ iure ea protuli ab omnibus doctissimis viris iudicãda, quæ non nisi ipsorum opera plana esse possunt. Hunc autem meum laborem tuæ maiestati, Cæsar potentissime, inscribere volui, & gratum tibi, acceptúmque futurum omnino confido. Cùm enim me tibi Deus & natura subdiderit, ac insuper etiam seruum eiusdem, indignum illum quidem, & Medicum suæ aulæ esse voluerit: quid esse, quæso, potest in me, quod meritò tua Maiestas, sibi vendicare nõ debeat, vel non possit? aut vicissim quod ego non agnoscam tuæ Maiestati addictum esse, tuisque seruire vtilitatibus deberẽ? Non enim mea omnia tantùm, sed magis me ipsum ei debeo. Hoc nomine igitur nostri otii & studiorum istum tenuem fructum tuæ Maiestati